

propensionem ad cogitationes suas exprimendas, necnon ad productionem sermonis organicam. Sed hæc satis sunt ut possit aliquam rem sensilem *articulato* (1) quodam sono nominare, et deinde uti vocabulis ex rebus materialibus desumptis ad res immateriales significandas.

190. *Objectiones* Traditionalistarum vel *nimis* probant, vel *nihil*; nimis quidem, si contendunt hominem non posse cogitare quin prius loquatur, ut jam demonstravimus; nihil autem, si volunt eum non posse sermonem adinvenire, nisi prius constitutivas illius leges omnes calleat. Non enim requiritur ut homo linguam *perfectam* statim reperiat, sed posset eam, perinde ac cæteras artes, lento progressu formare, et post longam hæsitantiam ad eruditam sermonis harmoniam paulatim adducere (2).

CAPUT II

DE VI OBJECTIVA ET NATURA IDEARUM UNIVERSALIUM

Vim objectivam et naturam idearum universalium in præcedenti capite non latenter innumimus, siquidem probavimus

(1) Vox articulata essentialiter differt a *clamore* (cri) quo solo fruuntur animalia ad exprimendas suas passiones. Vox est sermo *rationalis* aptus ad exprimendas ideas generales, et consistit in compositione sonorum articulorum quæ *vocales consonantibus* temperantur; consonæ quippe se habent ad vocales, ut articuli ad corpus.

(2) Adversarii, ut probent suam sententiam, afferunt exempla ex surdo-mutis, vel ex quibusdam hominibus in sylvis enutritis. At 1° hodierni surdo-mutorum institutores, inter quos Berthier, ipse surdo-mutus, testantur surdo-mutos, si satis ætatis habeant nulloque corporis vitio laborent, non paucis instrui notionibus, etiam abstractis et moralibus, cum in educationis domibus recipiuntur. — 2° Monet D. Thomas homines « nutritos in sylvis, vel inter lupos, posse sequi ductum rationis, in appetitu boni et fugâ mali. » (*Qq. dispp. de ver.*, q. xiv, a. 11, ad 1.) — Quæ autem adversarii afferunt exempla, vel fabulam redolent, vel sunt de quibusdam infantibus, vel hominibus certo vitio laborantibus.

universale inchoari a naturâ et perfici ab intellectu. Cùm autem hæc quæstio gravissimi sit momenti, ac nullo non philosophiæ tempore magno æstu agitata, præstat varias philosophorum sententias referre, et veram declarare.

ARTICULUS I

Recensentur variæ philosophorum opiniones circa naturam idearum universalium.

191. Prodiit hac de re quadruplex sententia, scilicet *nominalismus*, *conceptualismus*, *realismus formalis* et *realismus temperatus*.

1° *Nominalistæ* asserunt universalialia esse mera nomina sive flatus vocis, quibus nihil nec in mente, nec extra mentem respondet; at universalialia dici eò quòd vocabula quæ prius singulis individuis tantum tribuebantur, postea extensa fuerint ad significanda plura individua individuis jam notis similia; ita sensualistæ cujusvis temporis, in mediâ ætate Roscelinus et Ockam, nostris verò diebus omnes positivistæ. Nec aliter sentire licebat sensualistis; cùm enim doceant cognitionum nostrarum fontem unicum sensus esse, cùmque nihil sensibus percipi queat nisi singulare et individuum, sequitur universalialia in vocibus tantum consistere.

2° *Conceptualistæ* negant universalialia in solis vocabulis esse, et dicunt ea haberi debere tanquam mentis nostræ *notiones*, quin tamen quidquam iis in naturâ respondeat. Stoicis placuit ista sententia, quam probavit Abailardus et recens tenuere multi innatarum idearum fautores, ac speciatim Kantius. Et hi quidem suis placitis de idearum universalium origine cohæserunt; quoniam enim eas non ab experientiâ docent accipi, sed velut innatas subjecti cogitantis formas inducent, pro conceptibus merè subjectivis eas habeant necesse est.

3° *Realismus formalis*, ut ipsum nomen sonat, est opinio eorum qui tenent universalialia extra mentem sub universalialitatis formâ realiter existere. Triplici modo sententiam suam

explicant; nam alii, ut de Platone verisimiliter creditur, contendunt universalia existere extra Deum et res externas, ac propriâ quâdam per se frui existentia; alii, ut Ontologistæ, universalia reponunt in ipso Deo, in quo ea immediatè intuemur; alii demum, inter quos Gulielmus de Champeaux et quidam Scotistæ, putant universalia existere in rebus ipsis sub formâ universalitatis, ita ut hæc nonnisi accidentibus differant, cùm essentia earum sit una eademque.

4^o *Realismus temperatus*, quem tenet D. Thomas cum Aristotele, vult universalia partim in rebus existere, partim in intellectu. Quæ ut clarior evadat sententia, distinguendum est universale *directum et metaphysicum*, ab universali *reflexo vel logico*. Prius exhibet aliquam essentiam *in se tantum* inspectam, quin advertat intellectus eam pluribus rebus convenire: v. g. si consideres quid in se sit humanitas; non considerando utrum insit individuis pluribus vel paucioribus. Posterius obtinet, cùm intellectus in essentiam in aliquo individuo perceptam, ope reflexionis rediens, animadvertit eam aliis etiam individuis similem inesse, et inesse posse pluribus entibus ejusdem speciei merè possibilibus.

Universale reflexum propriè universale nuncupatur: nam universale, ut ipso nomine patet, est *unum versùs alia*, unum pluribus commune. — At universale directum per se propriè universale non est, sed indifferens ut sit in unâ re, vel in multis; v. g. essentia hominis per se indifferens est ad existendum in uno homine, vel in plurimis. Quocirca universale directum non est *genus* aliquod aut *species*, sed *fundamentum* præstat universali reflexo, quia præbet essentiam ex quâ intellectus desumere potest rationem generum aut specierum, aliarumque notionum universalium.

ARTICULUS II

Refelluntur falsæ opiniones, et statuitur vera sententia circa naturam idearum universalium.

192. Assertio 1^a: *Falsus est nominalismus.*

1^o *Adversatur naturæ vocabulorum.* Ex dictis (n. 188), vo-

cabula sunt signa seu expressio conceptionum mentis. Porro, ut concedunt nominalistæ, dantur vocabula universalia, v. g. humanitas, bonitas, pulchritudo, alia id genus. Ergo iis respondere debent conceptiones universales, nisi admittantur signa quibus nihil significatur, aut vocabula quibus nihil dicitur.

2^o *Evertit omnem vim scientiarum.* Scientia enim *non est singularium, sed universalium*, quippe tota consistit in universalibus notionibus (Log. n. 11 et 335). Sed nominalistæ hujusmodi notiones flatus vocis esse declarant.

3^o *Falso nititur fundamento*, scilicet quòd universalia vocabula usurpentur solùm ad plura *individua* designanda. At vel his vocabulis significantur *individua*, quatenus individua, vel quatenus aliquid commune habent. Porrò neutrum dici potest a nominalistis; *non prius*, quia individua, quæ talia, diversis sunt notis insignita, et ideo singula singulis nominibus egent; *nec posterius*; nam quod est in singulis individuis commune, jam universale dici debet, quia similitudo ipsa individuorum agnosci non potest, nisi tanquam aliquid unum in multis, ac proinde tanquam universale.

193. Assertio 2^a: *Falsus est conceptualismus.*

Ut enim vocabula referuntur ad conceptus mentis quos naturaliter significant, ita et conceptus ad res. Ergo si dantur ideæ universales, dari oportet aliquid in rebus quod iis respondeat; alioqui non jam erit scientia de *rebus*, sed de *ideis* tantum; unde via data *idealismo* vel scepticismo objetivo, et omnium scientiarum ruina, præter solam Logicam. — Sub eo respectu, conceptualismus a nominalismo vix discrepat, et eadem trahit consecutaria.

194. Assertio 3^a: *Falsus est realismus formalis, quocumque modo exponatur.*

I. *Falsum est universalibus existentiam propriam ac separatam inesse*, extra res externas, ut Platoni placuit. Nam 1^o si universale ponitur extra res existentes, jam non est aliud nisi mera idealis conceptio; porrò idealis conceptio in aliquo intellectu recipiatur oportet. — 2^o Universalia tribuuntur individuis: v. g. dicitur naturam humanam esse *in* Socrate;

quinimo res constituuntur tales vel tales, prout tali vel tali præditæ sunt essentiâ; v. g. animal dicitur quod sensibilitate gaudet.

II. *Falsum est universalia in solo intellectu divino residere*, ut placet Ontologistis; tum quia existunt etiam in intellectu nostro, quin ea in Deo percipiamus; tum quia in ipsis rebus *fundamentaliter* saltem existunt.

III. *Falsum est universalia existere formaliter prout universalia in rebus individuis*. — 1° Quidquid in rebus individuis creatis existit, determinatum ac singulare est, non secus atque res ipsæ; ergo universalia non possunt existere actu et formaliter talia in individuis. — 2° Ens idem constare nequit attributis oppositis. Porro in sententiâ de quâ nunc, ens idem oppositis attributis constaret; esset enim universale simul ac singulare; v. g. Paulus esset simul humanitas et singularis homo; ac proinde omnes humanitatis dotes forent etiam dotes hominis individui; v. g. Paulus dici deberet immutabilis, a tempore et loco abstractus; siquidem hæc humanitati conveniunt.

3° Repugnat, ut vult formalismus, inter entia cujusdam speciei nonnisi *accidentalem* esse differentiam, v. g. diversos homines nonnisi accidentibus differre; alia est enim *substantia* Pauli, alia substantia Petri, et sic de aliis. Alioqui sequeretur vel personam omnibus hominibus unam eandemque inesse, vel personam ex accidentibus constitui; sed utrumque a veritate abhorret.

195. Assertio 4^a : *Universale directum existit in rebus individuis, sed non eo modo quo ab intellectu concipitur.*

PROB. 1^a PARS, quia nihil existit, nisi aliquâ essentiâ gaudeat, quâ sit aliud potiusquam aliud, v. g. planta potiusquam lapis; hæc autem essentia, ex dictis, constituit universale directum.

PROB. 2^a PARS. — Intellectus apprehendit essentiam rerum absolutè, et ab individuantibus conditionibus abstractam. Atqui essentia rerum, prout ipsis inest, non est abstracta, sed concreta et singularis, ut res ipsæ.

196. Nec in abstractione istâ ullus est error; nam *abstra-*

hentium non est mendacium. Quippe non oportet res esse in seipsis eodem modo quo in intellectu, licet in re esse oporteat quod intellectus intelligit. Si enim, ut vult D. Thomas, *omne quod est in aliquo, est per modum ejus in quo est*; si autem alia est natura intellectûs, alia rei intellectæ, necesse est ut alius sit modus quo res intelligitur, alius quo in seipsâ existit (1). « Nam videmus quòd etiam visus percipit colorem « sine sapore, cum tamen in sensibilibus sapor et color « simul inveniuntur. » (In 1^o *Metaph.*, lect. X).

At verò qui abstrahit, non ideo putat rem in seipsâ abstractâ ratione existere; sed tantum universale in singulari considerat, quin consideret ipsum singulare in quo universale potentiâ reperitur. E. g. cum quis considerat colorem pomi abstractum a pomo, vel naturam hominis abstractam ab homine individuo, non ideo asserit colorem pomi separatam a pomo, aut naturam hominis separatam ad hominibus existere, sed tantum proprietatem vel naturam rei intelligit, non considerans individuum in quo invenitur, quod est abstrahere universale a particulari. (Cf. S. Th., 1^a, q. 85, a. 1, ad 1).

197. Assertio 5^a : *Universale reflexum propriè in intellectu solo existit, sed tamen fundamentaliter in rebus.*

PROB. 1^a PARS. — Universale reflexum est essentia quædam, ab intellectu considerata non ut uni rei propria, sed ut pluribus communis, et tanquam *typus* juxta quem aliæ res effici possent. Atqui hujusmodi universale in intellectu solo existit, cujus est abstrahere, comparare, et quid variæ res commune habeant apprehendere.

PROB. 2^a PARS, quia natura fundamentum intellectui præ-

(1) Jam si maturius attendatur, adversariorum errores ex neglecto illo principio promanasse videntur. Sic enim realismus exaggeratus argumentatur: Res habent eundem essendi modum in seipsis et in intellectu; porro in intellectu existentiam obtinent universalem; ergo et in seipsis; proinque universalia, a parte rei considerata, realiter existunt sub formâ universalitatis. — Aliter autem nominalismus: Res sunt in intellectu eodem modo quo in rebus; porro nihil est in rebus nisi singulare et concretum. Ergo nec in intellectu, ac proinde universalia nihil sunt nisi mera nomina seu flatus vocis.

bet unde ipse genera et species concipere ac dividere queat. Quippe res hujus mundi adspectabilis unitate simul ac varietate præditæ sunt; aliarum enim eadem, aliarum verò dissimilis est natura. Hoc porrò satis est ut ratio, abstractione et comparatione utens, res mundanas in certa genera partiat, pro naturâ earum vel diversâ, vel communi. (Cf. S. Th., 1^a, q. 85, a. 2, ad 2, et *Opusc. de ente et essentiâ*, c. 6).

ANTHROPOLOGIÆ ALTERA PARS

DE

NATURA HOMINIS

198. *Objectum hujusce partis.* In primâ parte Anthropologiæ exploravimus operationes potentiasque hominis, quia nobis primùm occurrunt. Sed ex operationibus ac potentiis entis, ad ejus naturam ascendere licet. Quocirca restat ut impræsentiarum de hominis naturâ sermonem habeamus.

Porrò circa hominis naturam dupliciter a philosophis erratum est, cùm alii, nempe materialistæ, illum nonnisi animal perfectius esse decernerent; alii contrâ, scilicet spiritualistæ nimii, essentiam ejus in animâ solâ repositam arbitrarentur.

Ast autem utrique a vero exulant, quippe hominis natura nec in corpore, nec in animâ tantùm concluditur, sed est substantialis *mixtura* quædam animæ et corporis, ut constat ex sensû communis ac sermonis hominum testimonio. Omnes enim non dicunt corpus esse *hominem*, sed *hominis*, nec animam *hominem*, sed *hominis* animam vocant; hominem vero habent quod ex utriusque complexu constat.

Unde Aquinas noster: « Ex corpore et animâ dicitur esse « homo, sicut ex duabus rebus tertia res constituta, quæ « neutra illarum est. » (*De ente et essentiâ*, c. 3).

199. *Divisio quæstionum.* Ad naturam hominis adæquatè investigandam, seorsùm disputare oporteret de corpore, de animâ, et de utriusque composito; quia verò scientia de